

CIMELIA

Qu

4979

kat.komp.

Suchten
VANDALUS


Reglometri 1547



4979

CIVELIA

S.W.157



Cim. Gu. 4979

1861. 1861.

1764
VANDALVS

ILLVSTRI PRINCIPI
D. ANDREAE COMITI A
GORCA CASTELLANO
POSNANIENSI, ET MA
IORIS POLONIAE

Supremo Capiteano
dedicatus.

ADDITA EST EPISTOLA

Lucretiae ad Eurialum.

Autore Alexandro à Suchten
Gedanensi.

IN ACADEMIA

Regii Montis.

ANNO M. D. XLVII,

Mense Augusto.

VANDALVS

ILLVSTRI PRINCIPI,

D. ANDREAE COMITI

à Gorca, Castellano Pofnaniensî, et
maioris Poloniae supremo Ca-
pitaneo dedicatus.

Autore Alexandro à Suchten
Gedanensî.

Accola Saxoniae, patriisq; fugatus ab oris,
Acceptit nomen Vandalus unde, canam.
Prisca relaturo dignas in carmina vires
Suffice, et his numeris Phæbe saluber ades.
Tuq; Comes, regni decus immortale Poloniæ
Hoc tibi deuoti suscipe uatis opus.
Acta recognosces uestros signantia fastos,
Annos hanc centum quatuor ante fidem
Dignaq; quæ gentes Phæbo sub urroq; iacentes
Aoniis numeris testificata legant.
Illæ, sub obscura ne condita nocte laterent,
Ingenio uolui reddere nota meo.
Quod mihi si maius facilis natura dedisset,
Quale uel Ausoniis uatibus ante dedit:
Inuidia nil tela timens, animosior irem
Per generis titulos et benefacta tui.
Nunc ea quæ scribo uena quia paupere manant,
Tam graue me uereor ne labefactet onus.
Hæc quoq; composui quæ iam iuueniliter audax,
Erubui uultus ante uenire tuos.

VANDALVS.

Nā quoq; fama refert, quæ laus in principe rara ē,
 Te coluisse sacras ex Helicone Deas.
 Implicuitq; tuos crines Daphneide lauro
 Phæbus, et ingenio digna corona tuo est.
 An mea nil metuat, cum sis doctissimus ipse,
 Rustica iudicium Musa subire tuum?
 Crede mihi, ualde metuit. Sed sorte requiris,
 Quando meum notum non tibi nomen erat?
 Vnde ego concepi, ne non tibi missa placerent,
 Carminibus tantum sollicitare uirum.
 Hic quoq; parce precor, faciunt id Apollinis artes,
 Numinis eiusdem cultor uterq; sumus.
 Ergo te facilem mihi da tua regna canenti,
 Ordiam: utq; queam, Phæbe, Comesq; faue.
 Gracchus apud ueteres bello clarissimus heros,
 Ante Lechitarum quam moderator erat:
 Sarmaticos inter montes, soluasq; ferasq;
 In stipulis habuit stramimbusq; domum.
 Ut tulit imperii fascēs, feliciter illis
 Præfuit, et quamuis bella perosus erat:
 Fortibus auspiciis multorum contudit ausus,
 Marte Polonorum qui petiere solum.
 Nimirum patriæ uirtus ab imagine gentis
 Noscitur, et nescit posteritate tegi.
 Sanguine Iulco (Gracchos dixere priores)
 Natus, et à Latius huius origo fuit.
 Quando Lycaoniam uel quomodo uenit ad Arcton,
 Non liquet, et dubium posteritate manet.
 Dicitur externis patriam decorasse trophæis,
 Hoste triumphato sæpe redisse domum.
 Nomen adhuc retinet Gracconia, condidit illam
 Maximus indigenis cum Draco terror erat.
Grande

VANDALVS.

Grande moræ precium cognoscere : dicite Musæ
 Sarmatici custos bellua montis erat.
 Finitimos uastabat agros, urbemq; recentem,
 Cincta suis nondum moenibus illa fuit.
 Hæc homines pecudesq; uagas, discrimine nullo
 Dicitur in medio dilacerasse die.
 Consuluit Gracchus populo : tria corpora iussit
 Huic pice cum mixto sulphure plena dari.
 Illa datus epulis ungues naresq; cruentat,
 Et uorat, et nullos sentit adesse dolos.
 Post ea, sulphureis accenditur ignibus intus,
 Ille cibus lechi causa draconis erat.
 Sacra facit Gracchus, templisq; indicit honorem,
 Victima uotiuo sanguine plangit humum.
 Plurima præterea dignissima laude perenni
 Gessit, at hoc nobis non memoranda loco.
 Est alius portus properet quo nostra phaselus,
 Huc mihi sunt cymbæ uela regenda mea.
 Vt pater est superum caelesti sede receptus,
 Imperii Graccho danda corona fuit.
 Gracchus erat maior natu, Lech proximus illi,
 Filia stirps generis tertia Vanda sui.
 Mane erat, auricomum Phæbus iubar extulit undis,
 Venatum fratri Gracchus eamus ait.
 Dicta placent, capiunt cornu, castesq; canesq;
 Nexilibus ualles impediuntq; plagis.
 Sylua antiqua fuit, nulla percussa securi,
 Insula uicinum murmurat ante nemus.
 Huc ubi peruentum, fit Graccho fulmineus sus
 Obuius, huicq; necem dente minatus erat.
 Incomitatus opem fratris uocat : ille repente
 Venit, anbelantis tergo nixus equi.

VANDALVS.

Quem iuuenis genere uocas? cui crederis unice?
 Quam peius infelix effuge fratris opem.
 Nescia turba sumus fati, sortisq; futuræ,
 Quod minime speres, euenit ante diem.
 Gracchus ut intrepidi fuerat uir pectoris, adsis
 Frater ait, nobis hincq; triumphus eat.
 Inq; feram iaculum dextra quod forte tenebas
 Coniicit, urgentes uulnerat illa canes. |
 Qua datur atq; licet, fugit in penetralia syluæ,
 Insequitur: ferula Gracchus et urget equum.
 Dumq; feram sequitur, fratrem post terga reliquit,
 A tergo frater sponte relictus erat.
 Quid non regnandi facit immoderata Cupido?
 De nece germani cogitat ille sui,
 Et cupit, et metuit, tãdem fors uiderit, inquit,
 Sacrilegoq; truces instruit ense manus.
 Inq; latus fratris capulo tenus abdidit illum.
 Decidit accepto uulnere Gracchus equo.
 O germana fides, comites inclamat ut adsint,
 Ingeminans querulos terq; quaterq; sonos.
 Solliciti ueniunt, et, quis dolor iste, requirunt,
 (Illius in uultu signa dolentis erant)
 Commemorat lachrymans fatum miserabile fratris,
 Accusatq; feram, quæ neclis acta rea est.
 Ostenditq; locum, nihil et potuisse iuuare,
 Vixq; sibi celeri consuluisse fuga.
 Quid faciant, dubitentne? uetat nõ credere sanguis,
 Quis sceleris fratrem crederet esse reum?
 Gracchus humum moriens exanguis pectore pulsat,
 Et spectat comites, et cupit ante loqui.
 Illius in uentos sed postquã uita recessit,
 Contiguus patri contumulatus humo est.

Imperii

VANDALVS.

Imperii titulos igitur regniq; secures
Lech tulit, ut fratrem dedit ergo neci.
Fallere mortales potuit, non fallere Diuos.
Conscijs admisa cadis Olympus erat.
Tempore regnavit paruo, cum facta tyranni
Edidit, ut tacitum nil finit esse, dies.
Eijcitur regni solio, posteaq; corona,
A patrijs pulsus sedibus, exul obit.
Digna fuit merces, dextram quia sanguine fratris
Sparserat, heu tantum quisq; caute nephas.
Filia restabat Gracchi de sanguine Vanda
Virgineo nondum corpore passa uirum.
Qualis apud ueteres inter fuit Heroinas
Phabas, ab Ideo Laomedonte genus.
Qua; per Oceanum simulato uecta iuueno
Sidonis in Cretam, de Ioue mater erat.
Qua; procos uicit propero Schencia cursu,
Aut Semele uotis ambiciosa suis.
Flamma iuuentutis talis pulcherima Vanda,
Inter erat Scythicas conspicienda nurus.
Quamq; fuit formosa, fuit tam casta, paternos
Perpetua coluit uirginitate focos.
Ab quoties illam iuuenes petiere Lechitæ,
Ab quoties iuuenem respuit illa preces.
Cedite Penelope, Lucretia Collatini,
Qua; pudicitia scemina nomen habet.
Praripit hos titulos uobis, laudemq;, decusq;,
Tam procul humano nata puella solo.
Quis nescit: studium Martis, fera bella gerebat,
Nec tantum lanis apta coloq; fuit.
Nouerat et forti iaculum torquere lacerato,
Flectere et in gyrum colla sugacis equi.

Quamlibet

VANDALVS.

Quamlibet audaci concurrere cōminus hosti,
 Deq; triumphatis ferre trophæa uiris.
 Qualis Amazonicæ uirtus fuit Oribyæ,
 Actiacis ausæ bella mouere uadis:
 Qualis in Aeneam cum Tur no bella gerentem
 Agmen agens equitum Volsca Camilla fuit.
 Talis erat gelido Græci sub climate mundi
 Filia, digna patre et digna parentis auo.
 Imperii huic igitur, quod erat de sanguine regum,
 Fratre domo pulso, tradita summa fuit.
 Sicq; tulit sceptrumq; patris, patrisq; coronam,
 Facta gubernatrix Sarmatiæq; fuit.
 Tunc primum proceres connubia poscere Vandæ,
 Inq; maritalem sollicitare torum.
 Huius ut audita est immensum fama per orbem,
 (Per mare, per terras ocyus illa uolat)
 Aspice, Germanum iuuenem de laude puellæ,
 Ignibus ignotis incaluisse ferunt.
 Sic in Amyclæa Troianus coniuge pastor,
 Arsit ab indico Cypria Diua tuo.
 Audiit esse aliquam forma præstante puellam,
 Protinus audita uirgine captus erat.
 Res est mira calor, num desuper esse putemus?
 Et certe arbitrio nos agit ille suo.
 Rytbogarus princeps hoc tempore Teutonis oræ
 Iuncta Lechitarum quâ tacet illa solo
 Captus in absentis facie, mercedibus amplis
 Flammas reginæ testificatus erat.
 Legatosq; suos misit, quos supplice uoce,
 Virginci iussit poscere iura tori.
 Non amor, ut speret prohibet, sed sperat amator,
 Nam genium magni numinis intus habet.

Ergo

VANDALVS.

Ergo ubi uenerunt domini mandata ferentes,
 Comiter excepti, sicut oportet, erant.
 Virgo sui postquam cognouit fœdus amoris
 A sibi finitimo principe Vanda peti:
 Erubuit, castosq; sinu deiecit ocellos,
 Auribus innuptæ uir graue nomen erat.
 Ora uerecundo tandem perisusa pudore,
 Hospitibus contra talia dicta dabat.
 Ite uiri, non nostra patent connubia cuiquã,
 Possem, si uellem, nubere Vanda domi.
 Nullus arhoc speret, mibi nec cū principe uestro
 Vllum coniugii fœdus inire licet,
 Gaudia mente fouet, legatisq; obuius exit
 Rhythogarus, sponsæ letus amore nouæ.
 Quidq; ferant, querit, reticent, metuuntq; fateri,
 Sed iubet, ut dicant, cur taceantq; rogat.
 Audit infelix duræ responsa puella,
 Et simul audierat fit rationis inops.
 Iamq; placet, ferro peregrinum absumere amorem,
 Iamq; placet, laqueo claudere uocis iter.
 Cutture non timido lethale haurire uenenum,
 Inq; necaturas mittere corpus aquas.
 Ira dolorq; necem suadent, sed uiuere dulce est,
 Viuit, et ut uiuat, spes animosa facit.
 Ergo agit, ut possit precio precibusq; mouere
 Quod cupit, et quibus hoc arte modoq; ferat.
 Quisquis amat, nec amore potest urente potiri,
 Huius inexpertum nil amor esse finit.
 Ille quidem puer est, puer est sed callidus ille,
 Exuperatq; omnes calliditate Deos.
 Non nomen sapientis habent et Phæbus et Hermes,
 Cum libet ille puer fallit utrumq; Deum.

VANDALVS.

Ergo Deus quos his iaculis incessit et arcu,
 Artis et ingenij non finit esse rudes,
 Quid faciat? primo tentat mollire rogando,
 Verba precaturis et perarare notis.
 Vota Deos hominesq; mouent, fuit utile multis,
 Supplicibus lachrymis apposuisse preces.
 Sape Iouem uidi cum fulmina mittere uellet
 Auditis precibus sustinuisse manum.
 Sape suos quando deuicit Carolus hostes,
 Filius exemplum de Ioue patre capit.
 Mollis et ad lachrymas facilis non scuit in ullum,
 Hic tulerit quamuis in caput arma suum.
 Vos quoq; difficiles orantibus esse puellæ
 Parecite, duricies conuenit ista feris.
 Accipite exemplum, si turpe putabitis esse,
 De Ioue, de magno Casare, utroq; Deo.
 Iuppiter et Casar certissima numina rerum,
 Imperio terras hic premit, ille polos.
 Ergo Rythogarus Germani sanguinis heros
 Constituit Vandæ sollicitare fidem.
 Quicquid id est cognosce precor doctissime princeps,
 Exiguas faciet nostra Thalia moras.
 Neue putes quicquã me confinxisse, Cupido
 Ipse mihi præsens cum meditabar erat.
 Ille meos duxit digitos calamumq;, stylumq;,
 Cunctaq; dictauit, præposuitq; modum.
 Quare Rythogarus quondam quæ scripsit amãti,
 Suggestis numeris ista Cupido meis.
 Scribere nec mirum tibi sit potuisse Latine,
 Edocuit princeps hunc quoq; numen idem.
 Ille puer linguas omnes tenet, ille per omnes
 Cæcos, perq; omnem notus oberrat humum.

Sed ne

VANDALVS.

Sed ne te teneam longis ambagibus, adsis,
Et mea te digno scripta favore lege.

RYTHOGARVS VANDAE.

SI qua meis inerunt cæcis oblueta tenebris
Versibus, a fletu Vanda litura meo est.
Sive parum recto te faller litera tractu,
Esse scias dextræ deficientis opus.
Scribimus e lachrymis, lachrymas amor elicit illas,
Tu uocis lachrymas has tamen instar habe.
Illa quidem nostra est, sed non felicitis amantis,
O utinam possem iam tibi pauca loqui.
Posse loqui tecum uerbis præsentibus opro,
Sed mihi non illud uentus et aura ferent.
Certus eram, certi si quid constiret amanti,
Ad tua festinos regna mouere pedes.
Ardoremq; meum coram sermone fateri,
Tendere submissas in tua iura manus.
Vidisses lachrymas, quæ fluminis instar euntis,
Irrorant nostros fonte perenne sinus.
Vidisses etiam macrum et sine sanguine uultum,
Ex desiderio pallidus ille tuo est.
Omnia uidisses, quæ nunc ego scribere cogor,
Sed faueas scriptis his, habeasq; fidem.
Dum tamen ire paro, prohibent exire penates
Longæuiq; senes, fatidicæq; nurus.
At nisi me patrijs tenuissent sedibus illi,
Iam tua uidissem regna, uet ante Deo.
Nox erat incipiens, cessit sopor omnis ocellis,
Censedere meo tresue duoue toro.
His ego commemoro furiales perditus ignes,
Nomine sub falso, quos mihi Vanda moues.

VANDALVS.

Collaudoq; tuam faciem, laudauerat ante
 Fama mihi, formæ maxima lena tuæ.
 Fama mihi de te quæ non et qualia dixit?
 Et memini et possem cuncta referre tibi.
 Illo sed melius referam tibi tempore, quando
 In thalamo coniunx conspiciere meo.
 Ergo tuam formam dū sic laudoq; proboq;
 Deficit in media pallade flamma mihi.
 Mensaq; tunc circum quam sedimus, illa repente
 Collapsa in fragiles est resupina pedes.
 Quid facis, unus ait, quo te furor urget amantem,
 An patrijs usquã finibus ire paras?
 Omen id ire uetat patria uetat omen abire.
 Ominibus quis non pondus inesse putet?
 Attonitus surgo, fugio sociosq;, torumq;
 Et fugiens dextrum limine lædo pedem.
 Tunc primum sensi quid me monuere senesq;
 Fatidicæq; nurus, parsq; recepta toro.
 Dii quibus in terris est magna potentia, dixi,
 Quos Paphos et Memphis quosq; Cythera colunt
 Dicite, nam uestri traiectus arundine teli,
 Vnde tuli vulnus, poscere cogor opem.
 Et date consilium, si uos censetis eundum,
 Ibinus, è trepido pectore cede timor.
 Si non ire licet, moderatius urite amantem,
 Nam modus in lachrymis nullus, et igne meo est.
 Virginis an potius mentem tentare putatis
 Vile muneribus, supplicibusq; notis?
 Muneribus pariter gaudent hominesq; Deiq;
 In Canaë auro tectus adulter erat.
 Et ratio multos hæc conciliauit amores,
 Dij faciant ratio profit et ista mihi.

Sunt

VANDALVS.

Sunt et opes nobis, chlamydem mittemus et aurum,

Quaę, suas possit gemma decere manus.

Omnia tentabo, quid enim tentare nocebit?

Prosper ades ceptis Diue uocate meis,

Vtq; meum iaculis fixisti pectus, et huius

Figę, sit ut flammę par in amore meę.

Sic ego, risit amor placido pueriliter ore,

Et mihi consilium quod petis, inquit habes.

Misimus idcirco famulos, et munus, et aurum,

Omnibus his castas addidimusq; preces.

Nec petij crimen, petij ut mihi nubere uelles,

His precibus quicquam castius esse potest?

Sic etiam patrem petij tua maier, ab illa

Si pudet, exemplum sumere nata potes.

Quod placuit matri, debet tibi Vanda placere,

Hęc quoq; uirgo fuit, hęc quoq; casta fuit.

At tu nec precibus nec nostro munere mota es,

Omnia spreuisti, coniugiumq; meum.

Heu mihi duricies tenerę quę tanta puella est?

Virginis in mentem uenit hic unde rigor?

Illa mihi de te quando perlata fuere,

Vera loquor, compos uix rationis eram.

Et fleui, populi me circumstante corona,

Nec puduit, cecidit uictus amore pudor.

Optauiq; mori, uitę perit asus et aurę,

Ne dubites, tecum sed nisi Vanda mori.

Tu mihi causa necis, mecum quoq; causa peritę,

Non ego si moriar te superesse decet.

O utinam nunquam sperassem fœdera læti,

Vlla tui, fama nec mihi nota foret.

Cur prius hos animo uidi quam lumine uultus,

Tam procul a patria uirgo remota meę?

B :

Es procul

VANDALVS.

Es procul, hincq; noces, quid si uicinior esses,
 Quid faceres praesens si mihi, et una domus?
Quisquis erat, puerum qui caecum pinxit amorem,
 Iudicio fuerat caecior ille meo.
Non ego te uideo, quamuis regionibus ambo
 Absumus, et tua te me mea terra tenet?
Te uideo certe, sed nollem Vanda uidere,
 Nam uisus lachrymas hic mihi saepe mouet.
Sapientius ante meos oculos uersaris, et ipse
 Me puto praesenti ceu tibi multa loqui.
Nocte tamen quam luce magis, nox aspera amanti,
 Cum tener ex oculis tu quoq; somne fugis.
Aut ego te, tu me sis felix coniuge coniunx,
 Aut mihi cur unquam cognita forma tua est?
Non ego torquerer furialibus ignibus intus,
 Non ego non noto captus amore forem.
Non mihi iam syluaeq; placent, arcusq; feræq;
 Non canis, et longis cursibus aptus equus.
Non fora me capiunt, non aurea templa deorum,
 Araq; uotiuo sanguine tincta bouis.
Non aliquis Pylades aegrum solatur Orestem,
 Et, mihi grata prius turba, sodalis abest.
Conueniunt fratres, et quæ mihi causa doloris,
 Scire uolunt, lachrymas dantq;, uidentq; meas.
An fatear suades? ignotaq; uulnera prodam?
 Absit, et hæc mecum condat oportet humus.
Verus amor tegitur, nec adhuc est cognitus ulli,
 Tu modo fac praestes hanc mihi Vanda fidem.
Quodq; facis nobis, quantum potes, obtege uulnus,
 Hoc soli notum sit satis esse tibi.
Ergo tibi notum cum sit, miserere precantis,
 Atq; tuo factum uulnus amore leua.

Ipsa

VANDALVS.

Ipsa leua, neq; enim quod tu facis ipsa, leuare
 Vlla potest, in te sola medela mea est.
 Nec tibi turpe puta, mihi si succurris amanti,
 Seruatusq; tua postmodo dicar ope.
 Dignus eram cui Vanda tori des iura, fidemq;
 Vxor et in cuius conspiciare domo.
 Est mihi Germano genitor de sanguine, cuius
 Teutonica gentis dextera scepra tulit.
 Hic mihi natalis locus est, et gloriior illo,
 Clarior est patria patria nulla mea.
 Quam late moderatur equos Hyperione natus,
 Tam late tellus Teutona nomen habet.
 Hoc apud Hesperios Nabathæaq; regna colentes
 Errat, et aeternum sparsit ubiq; iubar.
 Martis opus iuuenes discunt tractare decenter,
 Ponitur hac illis primus in arte labor.
 Este procul segnes, et ad ocia mollia nati,
 Conuenit ignauo gloria nulla uiro.
 Iudice Germano scelus est hoc morte piandum,
 Legibus his felix Attica terra fuit.
 Scilicet audisti quando Germania uicta est,
 Attamen hostili sæpe petita manu.
 Scilicet audisti quem non Germanica uirtus
 Compulit in turpem uertere terga fugam.
 Militis hæc nostri cura est ut uincere possit,
 Hoc habet a superis, hoc habet arte sua.
 Consideret ante Deos patrios qui grandior æuo,
 Votaq; pro natis, pro patriaq; facit.
 Consilij ætas hæc utilis illa labori est.
 Hæc patriæ prodest pectore, et illa manu.
 Hac de gente feror, qua non animosior ulla est.
 Illa mihi titulos imperiumq; dedit.

VANDALVS.

Meq; mei possum iactare in imagine patris,
 Illius est gestis nostra superba domus.
Ergo ego coniugium Vandæ non degener opto,
 Nec generosa mihi turpiter uxor eris.
Sceptra gero, princepsq; meæ sum gentis, et illa
 Gaudet, et est merito rege superba suo.
Vtq; tua nubas alicui de gente Lechitæ,
 Sanguinis aut generis nobilioris erit?
Vtq; sit hoc uerum, certe non Teutonis ora
 Rex erit, illa mihi gloria sola datur.
Prima meum coniunx conscendes Vanda cubile,
 Vita mihi cælebs hætenus acta fuit.
Prima meæ carpes Veneris libamina, primus
 Deq; tua spoliū uirginitate feram.
Hoc modo tu me ferre uelis, Saturnia præsens
 Hic erit, et fertis tempora cinctus Hymen.
Alma Venus tædasq; sacras ignemq; maritum
 Præferet, et fausta uoce sacrabit opus.
Dij facerent, saltem uisus tibi Vanda fuisset,
 Sic contempta tibi non meæ forma foret.
Laudaresq; meos uultus, hosq; ipsa probares,
 Et peteres, si non ante perita fores.
Quam nunc supplicibus precibus uix flectere possum
 Effet ab intuitu mens tua uicta meo.
Cur facies ignota mea est: ueniamus, at ipsa
 Ad te nos dominæ more uenire iube.
Si quoq; tum despectus ero, patienter habebō,
 Sed melius facies est mea nota mihi.
Quidlibet eueniat, manda modo, protinus ibo,
 Vlla nec hoc nostrum causa tenebit iter.
Numine numen eris mihi tu præsentius omni,
 Iam consulta mihi longa senectæ uale.

Si licet

VANDALVS.

Si licet et pateris, quid enim nocet, acta fateri,
 Virginitas facies mille probata mea est.
 Utq; ego te cupio, sic ipse petitus ab illis,
 Rythogarus nostris gentibus ardor eram.
 Sed neq; uisifero miscbitur Istula Rheno,
 Nec, nisi tu, coniunx ulla futura mea est.
 Utq; scias, et forte tua hæc non ultima cura est,
 Ter duo sunt uitæ lustra peracta mea.
 Et nihil inuenies hic quod caussere, quid ergo?
 Quid precor est, mihi cur non licet esse tuo?
 Si uideas famam, sine crimine uiximus, illa
 Vel minima nondum labe notata fuit.
 Quamlibet aspicias puerum, iuuenemq; uirumq;
 Inuenies omni tempore turpe nihil.
 Si mihi non credis, sunt quos hoc querere possis,
 Ordine tota quibus cognita uita mea est.
 Credere cur nobis tamen hoc regina recuses?
 Ecquid in hoc falsum carmine Vanda legis?
 Dii melius, meliusq; precor, nil scribimus horum,
 Quæ scripsisse tibi post mihi turpe foret.
 Sed ne quid dubites, poteris perquirere cuncta,
 Ut ne sis uitæ nescia sola mea.
 Illa quidem nota est, qua Teutonius irrigat arua
 Rhenus, et Hercinium tenditur usq; nemus.
 Me quoq; quære modo, uestri nouere Lechitæ,
 Et quæcunq; tibi gens sociata iacet.
 Scilicet in toto uirtus caput exerit orbe,
 Atq; situ nescit pressa latere domi.
 Illa tuas certe uellem uenisset ad aures,
 Quamq; alijs, Vandæ tam bene nota foret.
 Non ego iam quereret me turpiter esse repulsum,
 Ambitiq; mihi iura negata tori.

VANDALVS.

Nec mihi restaret nunc te formosa precari,
 Nec mihi dictaret flebilis carmen amor.
 Et dedit hic animos, et me tibi scribere iussit.
 Quid metuis dixit, iam dabit illa manus.
 Heu scribo, metuoq; tamen, speroq; sed illo
 Quod peto, Dijs faciant, ut monitore seram.
 At quid opus Dijs est? hec est tua sola uoluntas,
 Vt potiar uoto, tu facere una potes.
 Et precor ut facias: laceras quid ferrea amantem
 Vanda mora? nobis res inimica mora est.
 Nec tibi si placeat sine coniuge uiuere, tanti
 Imperium regni uirgo tenere potes.
 Senferat hoc olim quæ Nili condidit urbem
 Fæmina, uestitu dissimulata uirum.
 Et mulier, non uirgo fuit, non nescia rerum,
 Prodere se populo non tamen ausa suo.
 Quid facies igitur, quæ te fiducia cepit?
 Sarcina non humeris hæc sedet apta tuis.
 Effera gens hæc est, belliq; assueta, necisq;
 Limite inhumanis continuata Getis.
 In soluis lustrisq; habitat, sine lege uagatur,
 Vt pecudes, aliqua quæ ratione carent.
 Hos pater ille tuus, quamuis bellaxq; feroxq;
 Dicitur interdum perimuisse tamen.
 Quosq; pater timuit, non illos nata timebis?
 Quid facies uirgo, quando uir ille fuit?
 Quam nequijt dominus comescere fortibus armis,
 Imperium faciet turba iubentis heræ?
 Omnia si ueniant, et te tua patria tellus
 Pace sinat, nulla parte molesta, fruis
 Aspice, quas habeat circum uicinia gentes,
 Hæc tibi quod cures, quod uerere dabunt.

Quid

VANDALVS.

10

Quid referam Moscosq; feros acresq; Bohemos?
 Et boue qui forti culta Rutenus arat.
 Sunt etiam Moravi, sunt Pannoncs, Illyriq;
 Qui cum patre tuo conseruere manus.
 Et quæ de Latro gentes uenisse feruntur,
 In Scyrbia sedes et posuisse suas.
 Tuq; quibus nomen bellax Maslae dedisti,
 Cum monacho bellum cū tibi rege fuit.
 Hi circum tua regna iacent, hos Vanda caueto,
 Me miserum, sed non Vanda cauere potes.
 Te nisi uindicibus uir protegat impiger armis.
 Protegat at qui te sim precor unus ego.
 Ipse ego Marte meo uenientibus obuius ibo
 Hostibus, ipse dabo millia multa neci.
 Scilicet audita est etiam mea gloria genti
 Quamq; Cilix Taurus, quãq; Maotis habet.
 Audierint nupsisse mihi, qui fortis in armis
 Multa trophæa tuli, multa trophæa feram
 Attoniti fugient, ueluti timidissima dama
 Cum uidet ex aliquo monte uenire lupos.
 Tum quoq; gaudebo, nec erit mihi parua uoluptas,
 Maxima pro domina ferre perisla mea.
 Tunc amor et uirtus magno mihi parta labor
 Sufficient animos, sufficientq; manus.
 Tu modo me cupidum pro te pugnare iubero,
 Non ego, si iubeas, desidiosus ero.
 Sed ueniam ueniamq; celer, cum numine magno,
 Namq; comes nobis ad latus ibit amor.
 Quicquid ago semper Deus hic mihi duxq; comesq;
 Quicquid agam comite hoc et duce tutus ero.
 Hospitium regina para nobisq; Deoq;
 Sed puer hospicium quodlibet ille feret.

VANDALVS.

Ergo si iubeas ueniam pugnare paratus
 Pro me, pro domina, pro pueroq; meo.
 Ut ueniam tantum nunc imperiosa iubeto,
 Quodq; iubes, dempta Vanda iubeco mora.
 Calibe quid uita caperis? tua capta fuisset
 Si generix illa, nunc ubi Vanda fores?
 Non ego, calisti traiectus pectora telo,
 Conquererer mecum belligerare Deos.
 Et puer et mater pugnant in pectore eodem,
 Nec mihi fas contra dimicuisse duos.
 Tu quoq; non regina fores, non sceptrata teneres,
 Sarmaticis populis iura nec ulla dares.
 Viuere si solis placuisset gentibus olim,
 Mutua nec socij gaudia ferre tori:
 Semine mortali qui nunc plenissimus orbis
 Quod fuit ante, foret rursus inane Chaos.
 Nec te propterea natam uitalibus auris
 Crede, tuum debes sed cumulare genus.
 Quæ mare, quæ terras, quæ mundi temperat arcem,
 Sic statuit summi prouida cura Dei.
 Idcircoq; uiro sociata est femina, ut illa
 Augeat humanum multiplicetq; genus.
 Si tibi uirginitas placet, et sine coniuge lectus,
 Utilius nasci non foret, esse nocet.
 Amplexus quæ prima uiri contempsit, in oreo
 Innumeris pænis exagitata, tacet.
 Magna superstitio est, et detestabilis error
 Virginitas, quam nec Dijs hominesq; probât.
 Dicere si fas est, quoniam non nubere uultis,
 Ecquæ de uobis commoda mundus habet?
 Dum licet, atq; potes, stolidam precor exue mentem.
 Hic pecudes, quam tu, plus rationis habent.
 Est tibi

VANDALVS.

Est tibi forma potens, prudentia, nubilis ætas,
 Ergo age nube, tibi conueniente uiro.
 Atq; genus Gracchi, de quo tu sola superstes,
 Intereat totum te moriente, cauc.
 Aspice Sarmatiam, regnum dotale parentis,
 Sanguinis hæredem flagitat illa tui.
 Ab patriæ miserere tuæ, miserebere amanti,
 Manserit hoc aliquod nomen in orbe tuum.
 Si sic Elysios, animis loca debita, campos
 Ingrediere, tui quis superabit honor?
 Tunc patriæ (uerum nullum sit in omine pondus)
 Hostibus arua tuæ diripienda dabis.
 Vtq; mihi credas, audiui murmura quædam,
 Perdere Sarmatiæ quæ meditantur opes.
 Quæ nunc sola tenes, ea multi regna tenebunt,
 Scindetur patriæ gloria Vanda tuæ.
 Pannonæ et Morauæ uenient, genus acre, feroxq;
 Sapius expertus quos pater ante fuit.
 Arua Lechitarum gens illa potentibus armis
 Subruet, et nemo qui prohibebit erit.
 Libera quæ nunc est tellus, post seruiet hosti.
 Virginitas patriæ hoc, hoc tua nempe dabit.
 Flecte animos, gentiq; tuæ succurre labanti,
 Non est hæc opera digna perire tua.
 Et patriæ merces non hæc bene redditur, ergo
 Incipe iam tandem nubere uelle uiro.
 Meq; tuo patiare frui regnoq;, toroq;
 Sic populi princeps ipsa futura mei es.
 Teutona finitimis iungantur regna Polonis,
 Et domus has terras post regat una duas.
 Sicq; Lechitarum coeat Germania regno,
 Vt sua quos tellus, hos quoq; iungat amor.

VANDALVS.

Firmius imperium fiet nostrumq; tuumq;
 Hostis et ambobus nemo timendus erit.
 Ne cunctere diu, properataq; foedera iunge,
 O animo penitus Vanda recepta meo.
 Sic utinam recipi possem quoq; posse putamus,
 Et spes hæc uitam sustinet una meam.
 Plus tamen est, recipi quamuis cupioq; petoq;
 Quod uolo, sperati foedera coniugij.
 Si te noster amor, lachrymæ, si uerba precantis,
 Quæq; tibi infelix brachia tendo, mouent.
 Coniungere mihi, nec non plaudentibus uxor
 In thalamos superis ibis, easq; meos.
 Pone feros animos, non conuenit ista puellis
 Gloria, nec debet sic ab amante peti.
 Laus tibi Germano iuueni si nupseris, illa
 Maior in amplexu Vanda futura meo est.
 Quære senes, tremulasq; nurus, suadentibus illis
 Rustica uirginem pone supercilium.
 Et pete cui peteris, cuius charissima coniunx
 Donec in hoc aliquis pectore sanguis, eris.
 Viuere cui sine te mors est: mihi crede peribo,
 Si fuerit lecti spes mihi dempta tui.
 Sed non acer amor feret hoc, audebimus ante
 Quidlibet, est grauior morte repulsa mihi.
 Si nil proficient uoces, uenimus ad arma,
 Arma tibi noster dico parabit amor.
 Tunc nisi, si fuerint uires in amante repulso,
 Te mihi sponte dabis, marte coacta dabis.
 Qui tocies fudi nunc hos, nunc fortiter illos,
 An metuenda mihi uirginis arma putem?
 Si placet, experiere meas temeraria uires,
 Teutona sic uirtus nostra probanda fuit.

Nec ueniã

VANDALVS.

Nec ueniam solus, quamuis satis ipse superq;
 Sim tibi, sim genti barbariaq; tuæ.
 Nunquam terra feret Germania dedecus illud,
 Spreueris amplexus si peregrina meos.
 Teutona non didicit uirtus insucta repulsæ
 Pectore magnanimo uerba superba pati.
 Auxilium feret illa mihi, Rhenuſq; petentem
 Iuuerit, audaces attuleritq; uiros,
 Mosq; Belgarum quæ præter labitur urbes
 Noſtraq; Gallorum separat arua solo,
 Diuicijs Scaldisq; potens numeroq; uirorum,
 Tuq; sacer Clario Dilia amate Deo,
 Acratas mittent acies, nos misimus illis,
 Ausonias quando pertinuere manus.
 Et iam promifere mihi, ne nescia pecces,
 Contra tam fortes una tot arma feres?
 Arma feras quamuis, armis uincere meorum,
 Nec tibi cum Parthis bella futura putes.
 Teutona fulgenti radiantia pectora ferro
 Aspicias, moneo dum potes, illa caue.
 Viribus Herculeis hastilia grandia torquent,
 Spicula ab aduerso non iaculantur equo.
 Cedere non norunt, adsunt ut uincere possint,
 Oppositosq; premunt Marte fauente uiros,
 Terga nec obuertunt sed pectora fortiter hosti,
 Et non quemq; suo turpe stetit loco est.
 Militibus nostris igitur gens illa coibit?
 Illa meos contra gens feret arma Duces?
 Falleris o nimium uirgo, gens illa peribit,
 Et tu Marte meo capta futura mea es.
 Nec me crede minas, sine re præmittere tantum,
 Rythogari promptas experiere manus.

Si me

VANDALVS.

Si me reppuleris iterum, non carmina mittam,
 Nulla feret, lachrym is oblita charta preces.
 Arma sonum facient, non quem facit ista papyrus,
 Heu pectus posset illa monere tuum.
 Crede mihi (quam te uellem desistere cepto
 Præmonitam) talis non sonus alter erit.
 Sarmata quid meruit? si te defenderit ille,
 Istula nunc huius sanguine tinctus erit.
 Parce tuis populis, quando tibi parcere non uis,
 Inq; toto melius congregiari mihi.
 Hic mecum pugna : diffundere parce cruorem,
 Virginis innocuas conuenit esse manus.
 Conuenit à lecto dignum non pellere amantem,
 Legitimus recte nec prohibetur Hymen.
 Utq; manus fugias nostras, quod credere non est,
 Impendet culpæ numinis ira tuæ.
 Illius est abs te rigide contempta uoluntas,
 Admoneo offensos desine habere Deos.
 Auxilio superum, cum uenero, bella mouebo,
 Stabit pro signis Iuppiter ipse meis.
 Sed fac, ne mihi sit tecum pugnare necesse,
 Inq; cubile meum sponte uenire uelis.
 Te deceat illud opus, quid erit cum Marte puellæ?
 Aptior est dextræ lana colusq; tuæ.
 Tutius in pecudes syluestria spicula torque,
 Et Cereris saltus et iuga montis ama.
 Degeneresq; feras, non pectora nostra laceisse,
 Materiam in syluis cædis ab hoste pete.
 Omnia præmoneo (quæ tu precor omnia crede)
 Ut quid agas spectes, ne noceasq; tibi.
 Lædere non cupio quod amo, quis lædat amantem?
 Sis modo lædendæ non mihi causa tui.
 At lachrymis

VANDALVS.

At lachrymis mouere meis, donisq;, notisq;,
Facq;, aliquod pondus carmen habere meum.
Non iuga Sarmatiæ, non te genuere leones,
Ducis ab Oenotrio sanguine nata genus.
Accipe in exemplum generosum stemma parentum,
Inde tibi fuerit degenerare nefas.
Viueret o genitor non talia facta probaret,
Quæ ueniunt titulis inficienda tuis.
Ante diem cecidit mater, foret illa superstes,
Damnaret mentem, duriciemq;, tuam.
Si non cura mei, te tangat cura parentis,
Atq;, uide quidnam suadeat illa tibi.
Suadet ut abiecto iam uirginitatis amore,
In sterili cespes uiuere sola domo.
Ergo precor cespa, nec dedignare maritum
Teutonicum Scythicis nata puella iugis.
Aspiciasq;, preces, et quod tibi brachia tendo.
Heu mihi tam durum pectus habere potest
Quæ modo legisti, si nil te mouerit horum,
Siue uelis nolis, Vanda futura mea es.
Interea ut sospes nostro sociere cubili
Si non sponte, meo Marte coacta, **V A L E.**
Talia regina dictante Cupidine scripsit
Rythogarus, flammæ exposuitq;, suas.
Vanda sui postquam cognouit carmen amantis,
Appositas precibus legit et esse minas:
Non primo commota nihil, regaliter orsa
Postmodo legatis talia dicta dedit.
Non ego contemno domini connubia uestri,
Quem mihi uicinum iungit amore solum.
Non genus, aut formã, quamuis nõ uidimus illã,
Non quod amet, quod nos semper amare uelit.

D

Virginis

VANDALVS.

Virginis hæc fateor potuissent flectere mentem,
 Nubere si cuiquam mens foret ulla mihi.
 Est mihi uirginitas nullo uiolabilis æuo,
 Zona maritali nec soluenda manus
 Vouimus hanc superis, uotam seruabimus omni
 Tempore, quod speret nil habet ille mei.
 Quin alio potius talem conuertat amorem,
 Nec noceat, quam se dicit amare, mihi.
 Ille nouam facile poterit comescere flammam,
 Tollat et à lecto se procul, oro, meo.
 Sin minus, et ueluti scripsit nos Marte lacesset,
 Meq; suo sperat uictor habere finus
 Sentiet ingressus confinia Sarmatis oræ
 Ad bellum promptas nos quoq; habere manus.
 Nec, sua quantumuis tot fortia facta recenset,
 Milibus nostris ergo timendus erit.
 Gesta Lechitarum quis non audiuit? et ille
 Ille minas nobis, et mala uerba dabit?
 Ille meæ spoliū uult uirginitatis habere?
 At sibi, quod procul est, forte licere putat.
 Adsit, et hic coram mihi talia uerba minetur,
 Virtutem dextræ sentiet ille meæ.
 Sentiet, et ueniat, ueniat modo, sentiet inquam,
 Et caueat nos se pertinuisse putet.
 Dixit, et hanc ira famulæ tenuere furentem,
 Sunt qui legatos obstupuisse serunt.
 Ergo domum redeunt, uultu testante dolo rem,
 Responsum domino significantq; suo.
 Profecisse preces cum nil, et amantia uerba
 Viderat, iratus bella parare iubet
 Mors in amore mora est: subito monet arma capessant,
 His prior ultrices instruit ipse manus.

Nec si

VANDALVS.

Nec simulare potest, spretum profitetur amorem,
 Et populo coram talia questus, ait.
 Ille ego cui parat domino Germania tellus,
 Qui teno rerum sceptrum potente manu:
 Ille ego perpetiar, mea si connubia uirgo
 Barbara reijciat: nec putet esse parem:
 An non dignus eram: fuit hæc indigna rogari,
 Et facta est lachrymis ambiciosa meis,
 Non ego contemnor tantummodo, Teutona uirtus
 Despectu tali nostra notata fuit.
 Nec satis est spreuisse preces, spreuisse maritum,
 Qualia non nobis illa minata fuit:
 Arma uiri, arma uiri, fortiq; incingite ferro
 Pectora, bellaces occupet hasta manus.
 Vlciſiq; para tantum Germania crimen,
 Dedecus aut semper te penes istud erit.
 Dixerat, et clypeos, et acutæ cuspidis hastam
 Arripit, et magno concutit arma sono.
 Assensere Duci iuuenes, subitoq; tumultus
 Exoritur, bellum Rhyhogarusq; parat.
 Vt uenere locum, quem designauit, in unum
 Qui pede, qui curru, quiq; merobat equo.
 Iamq; tubæ lituiq; sonant, iam flatus equorum,
 Tympanaq; horribiles increpuere sonos.
 Ibat maurata medius Dux casside tectus,
 Ante alios niueo conspicendus equo.
 Talis in occiduis Belgarum Carolus oris
 Regna rebellantis fregit et arma Ducis.
 Aureus et medio pugnauit in agmine turbæ,
 Nunc eques intrepidus nunc pedes ille fuit.
 Sic quoq; Rhyhogarus niueis fulgebat in armis,
 Aureus incinctus quo fuit ensis erat.

VANDALVS.

Scilicet, ut placeat dominæ si uisus ab illa
Forte sit, hic etiam comptus amator erat.
Taliter Aeneam, nata spectante Lauini
Cum riuale suo dimicuisse ferunt.
Taliter hunc contra certabat Daunius heros,
Hic quoq; Troiano cedere turpe putans.
Arus Lechitarum postquam Germana iuuentus
Contigit, et ripas Istula torte tuas ;
Hostiles acies ad se lectasq; phalanges
Audit amatorem ducere Vanda suum.
Audit et excidium patriæ, patriamq; colentum,
Dedere ni cupido se uelit ipsa uiro.
Cum sic illa; minis aut sic terrebimur armis?
Inquit, et in populo spes mihi nulla meo est?
Dij melius, neq; enim, quæ gloria nostra, parentes
Tale rudimentum me docuere mei.
Sume animos regni pubes generosa Poloni,
Dissimilis ne sis, aut uideare, tui.
Me duce Germanum prosternes fortiter hostem,
Me duce, dependes laureaserta Ioui.
Arcusq; clypeosq; tuos, pictasq; pharetras
Accipe, munitum forte sit ense latus.
Prædonesq; novos e sinibus eijsce nostris,
Pro domina et patria belligerare pium est.
Dedecus hoc nunquam poterunt abolere Lechitæ,
Turpiter his tibi nã si patiare rapi.
Sed confide Deo, si decertaueris armis,
Vinces, pro signis stat bona causa tuis.
Et tibi sunt animi, fortesq; in bella lacerti,
Quo ruit audaci Teutonus hostis equos?
Te meminisse decet semper uirtutis auitæ,
Dedecori aut patriæ non superesse tuæ.

Cingere

VANDALVS.

Cingere, sic opus est, iam nunc fulgentibus armis,
 Inq; latus clypei, tempora cassis eat.
 Gloria det uires, laus pro natalibus aruis
 Proq; Deis patrijs non timuisse mori, est.
 Sed non hæc homines nostros fortuna sequetur,
 Marte Lechitarum Teutona turba cadet.
 Sic effata, manu uibratum sustulit ensem,
 Enseq; sublato pergit, aitq; suis.
 Per tibi ego hunc iuro, quæ nondum conspicis, ensem:
 Per tibi uirginea quæ gero sceptræ manu
 Improbe Dux fueris, ut eris, si uictus in armis,
 Aut mihi cras pœnas morte daturus eris:
 Aut ego, ne potiare tuo turpissime uoto,
 Visceribus condam cras ea tela meis.
 Audiat hæc celeres torquens Dictynna sagittas,
 Iurandi testis quæ mihi iuris erit.
 Et tu qui trifido diffindis fulmine nubes
 Iuppiter, ad uotum respice iuste meum.
 Si penes hunc populum steterit uictoria, siq;
 Rynthogarus nostro Marte peremptus erit:
 Grata tibi fuero, non thure calentibus aris,
 Hostia nulla tuos concidet ante focos.
 Quæ mihi uirginitas hoc integra tempus adusq; est
 Victima morte mea sola futura tua est.
 Ergo Deum genitor, felix allabere nostris
 Viribus, ut cadat hæc qui mihi bella mouet.
 Dixerat, et cuncti studijs ardentibus arma
 Agglomerant, belli causa probata fuit.
 Vanda capit pharetram, suras incincta cothurno,
 Tigridis exuijs inseruitq; latus.
 Vnum exerta humerum, medio ruit agmine equorû,
 Ut prius in Phrygio Penthesilæa solo.

D ; Nec secus

VANDALVS.

Nec secus ac nymphas Latonia Nonacrinas
 Inter it, insequitur cuspide quando feras.
 Regia sic uirgo turbæ permista uirili
 Emicat, et roseum fundit ab ore iubar.
 Sic et in occursum prædonibus obuia pergit,
 Quaq; potest animos adijcit arte suis.
 Planicies fuerat, leuam densissima sylua
 Occupat, et dextram Vistula stringit aquis.
 Delituit sylua Germanicus hostis in illa,
 Hinc in Sauromatas irruiturus erat.
 Quo tulerant gressus, fumabant puluere campi,
 Rybhogaro primus nuncius ille fuit.
 Iamq; pedum aduentum, iamq; iras quadrupedantū
 Audierat, murmur Sarmaticumq; procul.
 Ne trepident, metuantq; suos hortatur, et instat,
 Et monet, ut qui sint iam meminisse uelint.
 Conspicit in latebris hostiles esse phalanges
 Vanda, metu pugnae quas latuisse putat.
 Ergo mouet propius castrensia signa, uidetq;
 Ecquid agant hostes, consiliq; parent.
 Ante nemus uebitur niueo pharetrata Virago
 Omnis nuda genas, ut uideatur, equo.
 Nunc properat, lento nunc fert uestigia passu,
 Nunc latet arboreas inter operta comas.
 Per nemoris frondes, quantum spectare licebat,
 Rybhogarus dominam sensit adesse suam.
 Et magis incaluit spectatæ ab imagine formæ,
 Lumina spectando nec faciare potest.
 Taliter, et fama est, oculis Megarecius heros
 Constiterat uisis Hippodamia tuis.
 Forsitan ut melius posses ab amante uideri,
 Illius a tergo currere cura fuit.

VANDALVS.

Quis scit an idcirco cerni quoq; Vanda uolebat,
 Afficeret iuuenem plus ut amore sul.
 Rhythogarus certe coram cum uiderat illam,
 Arsit, ut ad sacros cærea tæda Deos.
 Et secum: Non falsa tuæ præconia formæ
 Pertulit in terras nuncia fama meas.
 Non ego conspexi similem tibi Vanda, nec unquam
 Tam pulchram faciem Teutonis ora tulit.
 Non me pæniteat, pro tali sumere bellum
 Virgine, nec fieri, sic nisi, digna mea es.
 Dij faciant, saltem ne sit tibi nostra delori
 Dextra, nec in pugna congregiare mibi.
 Neue putes numero si sum tibi forsitan impar,
 Idcirco numerum me timuisse tuum.
 Aut ego te potiar iam Vanda, uel arte, uel armis,
 Aut mea Sarmaticum conteget ossa solum.
 Talia sollicito dum secum corde uolutat
 Teutonicus iuuenis, multaq; uota facit.
 Spectabant pariter comites, et uirgine uisa,
 Idaliij telis incaluere Dei.
 Nec minor est horum quam principis ardor in illâ,
 Et sentit bellum pectore quisq; suo.
 Copia cum uero fuit his conspecta uirorum
 Fortia pro domina quæ tulit arma suas
 Languescunt animiq; uiris, iræq; recedunt,
 Causaq; languoris iusta duplexq; subest.
 Vir fuit his senio uenerandus, hic alter Vlysses
 Calliditate sua, pectore Nestor erat.
 Rhythogarum uidit periturum funditus ille,
 Impare si numero belligerare uoles.
 Vidit et, æternum fore dedecus omnibus illud
 Si referant cæsi nulla trophæa domum.

Ergo

VANDALVS.

Ergo ducem belli uerbis compellat amicis,
 Dignaq; maiestas ore loquentis inest.
 Magnanime o princeps uiden ut fortissimus hostis
 Prompta tuos contra signa paratus habet?
 Aspice stant morti iuuenes utring; parati,
 Quæ uocet in pugnam iam tuba signa dabit.
 Consilij quid habes? turba numeroq; uirorum
 Vincimur, illorum præda futura sumus.
 Est quoq; (crede mihi, uenias uel, et ipse uideto)
 Hinc grauis in castris sollicitudo tuis.
 Non par est, et inire negat Germania pugna,
 Parce nocere tibi, parce nocere tuis.
 Quin potius pacem statuis cum uirgine Vanda,
 Pace Venus gaudet, pace reperiunt amor.
 Ut uoto potiare tuo, sapientius illud
 Quam bello, uerbis experiere prius.
 I bene persuade: male quod cum Marte minisq;
 Appetis, hoc tali forsitan arte feres.
 Ira subit iuuenem, cum detrectare uidebat
 Prælia, Germanos atq; timere suos.
 Nunc huc nunc illic agitur furiosus amator,
 Ut face tyrsigenti peritita Baccha Dei.
 Sustulit ad superos oculos, et uoce minanti
 Militibus tandem talia fatus erat.
 Ergone spectatum tantum uenistis inertes?
 Atq; ego rex uester rex ego uester ero?
 Degeneres animi, populus metuentior ista
 Barbarie, cuius uerba minasq; times
 Dic cur longinquis huc e regionibus usq;
 Sumptibus adduxi te scelerate meis.
 Gratia an illa tua est? patriasq; redibis ad aras
 Siccine? polliciti summa erat ista tui?

Vade

VANDALVS.

Vade malis auibus: sic fatus in ilia ferrum
 Stringit, et audaci sanguine spargit humum.
 Accurrunt proceres, rapiuntq; e uulnere telum:
 Personat in castris clamor, et astra ferit.
 Fama suis pedibus uelociter applicat alas,
 Principis et turpem uulgat ubiq; necem.
 Castra subit Vandæ, docet et quæ gesta fuere,
 Adijcit ingenio fictaq; multa suo.
 Quando scelus uirgo cognouit, uicimus inquit,
 Huic opus ut caderet nec mea dextra fuit.
 Quid tamen est, quare proprio sit Marte peremptus
 Ille meus sponsus, scilicet ille meus?
 Dicite Sauromatæ, nam uos audisse potestis,
 Causa repentinæ quæ sit et unde necis,
 Fama recens fuerat, nec adhuc bene cognita causa,
 Taliter ille refert, taliter ille negat.
 Fluctuat in dubio dum sic, incertaq; facti
 Vandæ nihil quare credere possit habet.
 Teutonici ueniunt proceres, casumq; necemq;
 Reginam domini cum docuere sui:
 Fœdera constituunt, et pacta pace recedunt,
 Hinc ouat in castris miles uterq; suis.
 Germani rediere domum, dominiq; cadauer
 More suo patrio composuere solo.
 Sauromatæ exultant, plaususq; per aera iactant,
 Sæpe et io magna uoce triumphæ sonant.
 Ingeminantq; sonos, iterumq; iterumq; triumphant.
 Læticiam nullo sollicitante metu.
 Audiuerunt suos, qui non ad bella profecti,
 Incolumes, facta pace, redire domum.
 Altera pars ierat uenientibus obuia, plausu
 Læticiam mentis testificante suæ.

VANDALVS.

Altera pars cedit patrio de more bidentes,
 Votaq; thuri cremis ingerit exta focis.
 Sarmatiæq; nurus pro saluis dona maritis
 Ad patrias aras, sanctaq; templa ferunt.
 Quando Deos uero tetigit regina penates,
 Ex humeris pharetram deposuitq; suis
 Et poterat populo coram spectante uideri,
 Texit et implicitas fascia nulla comas:
 Muneribus cumulant reducem matresq; senesq;
 Quod pia pro patriis ceperat arma focis.
 At regina memor, uotum sub pectore uersat,
 Exigat hoc et clam qua ratione uidet.
 Istula præteriens Gracchi patris alluit urbem,
 Pensilis hunc supra pons ubi structus erat.
 Vanda cito passu pontem descendit ad illum,
 Sicuti credibile est, in comitata fuit.
 Hicq; ubi constiterat, uultu sublata, manusq;
 Edidit extremo talia uerba sono.
 Summe Deum genitor, scis qualia uouimus olim,
 Ecce meam præsto iam tibi morte fidem.
 O si numen habes ut numen habere putaris,
 Accipe me gremio lubrice Diue tuo.
 Hactenus: et timidos uelamine texit ocellos,
 Desuper in rapidas seq; ita misit aquas.
 Dicitur ipse senex audisse, Deaq; futuræ
 Molliter ut caderet supposuisse manus.
 Quæ mortalis erat, sic numen facta repente est,
 Iamq; locum primum Naiadas inter habet.
 Istula noluerat plus nomen habere uetustum,
 Dictus ab indigenis Vandalus ergo fuit.
 Hinc etiam populus titulum mutauit, adhucq;
 Vandalus à Vandæ nomine nomen habet.

VANDALVS.

Viue diu Princeps, portu mea puppis in illo
Nauigat, egresso quo mihi cursus erat.
Gratia Phæbe tibi, mihi qui Permessidos undam
Porrigis, et sacro pocula plena mero.
Ergo suis etiam me Prussia uatibus addit,
Grataq; dat capiti Bacchica fersa meo.
Postmodo, si fuero uenturo cultior æuo,
Auribus Ausonijs carmina digna canam.
Nunc ea composui sub sydere Mænalis urse,
Bregela Musarum qua strepit ante domum.
Carolus Hesperiijs ueniens ubi quintus ab oris
Cæsar ad Albiacas signa locauit aquas.

EPITAPHI

V M V A N D A E.

Vanda loquitur.

Quid stas? et lachrymis meum sepulchrum
Hospes dedecoras? nimisq; nostri
Casus interitus dolenter audis?
Fletu parce, bene est mihi uiator,
Viuo, non perij, Deasq; centum
Inter maxima Natas salutor.
Olim iura mihi dedit maritus
Lecti Vistula, sumq; præpotentis
Vxor numinis: At pijs Lechitæ
Hoc fecere mihi loco sepulchrum,
Ut, quam flebile sit mei relictum
His desiderium, sciant nepotes.

G. SABINVS

AD ALEXANDRVM

SUCHTENVM.

ACer ut inuictis domuit qui uiribus orbem
Natus Alexander Martis ad arma fuit :
Sic et idem qui nomen habes, Suchtene uideris
Mitia Pierij natus ad arma chori.
Quis deus impleuit iuuenilia pectora: quis te
Extulit etatem spiritus ante tuam?
Haud minus oblectat me gratia carminis huius
Te quod amore flagras Nympha canente dedite,
Quam quod Abydeno Leandro Sestias Hero,
Sidonis aut Phrygio misit Elisa duct.
Perge sacer uates, Suchtenæ gloria gentis,
Impiger Aonia ludere perge chely:
Quodq; geris, faustum te nominis excitet omen:
Omina nominibus nam quis inesse neget :
Inter honoratos quos Teutonibus ora poetas
Laetat, Apollineo carmine uictor eris.

EPISTOLA

LVCRETIAE AD EVRIAM

lum, Authore Alexandro

à Suchten.

Quam nequeo praesens praesenti ferre salutem,
Itala Teutonico mitto puella uiro,
Sunt quaecunq; uides latijs per arata Camoenis,
Forsitan haec nondum cognita lingua tibi est.
Scripta q; quid cupiant, cum sint peregrina, requiris?
Perq; tibi ignotos emodulata pedes,
Non ego Germanas didici uirgo Itala uoces,
Teutona sunt nostro uerba aliena foro.
O utinam possem tecum sermone coire,
Aspiceres formae clara trophaea tuae.
Quaeq; uelim de te, si non tibi dicere possem,
E lachrymis essent nota futura meis.
Sed sum clausa domi, sed me custodia seruat,
Ut nequeas, quamuis ipse uenire uelis.
Qui docuit primus latias includere matres,
Solutus hic aeterno carcere dignus erat,
Nec dubium est, Scythicis mos hic manauit ab oris,
Barbaria a nobis tanta fuganda fuit.
Quid tamē ista queror? ueniunt ubi tempora somni,
Ponitur ante oculos charta stylusq; meos.
Dumq; iacent famulae, uictiq; sopore ministri,
Et quicumq; meas excubat ante fores?
E thalamo surgo, nec me timor impedit ullus,
Et meditor tacita nocte quod ipse legas.
Sed non certa fui peregrinum carmen amanti
Mittere, nolentem compulit acer amor.

E s

Da ueniā

LVCRETIA.

Da ueniam fassæ, maioribus æstuo flammis,
 Quam possim uulnus dissimulare meum.
 Eurialum uidi, certe est meminisse uoluptas,
 Ad placidum magni Cæsaris ire latus.
 Vt uidi, sensi rapidas in pectore flammæ,
 Querebam subito quis calor iste foret.
 Est anus, ex illo mihi tempore tradita custos,
 Quo matura uiro uisa puella fui.
 Hanc ubi quæsieram, uultu subrisit anili,
 Atq; amor illa mihi flamma uocatur ait.
 Tunc primum didici, quam me malus ureret ignis,
 Ante mihi hic solo nomine notus erat.
 Nomine uix etiam notus, tibi uera fatebor,
 Et dicam Eurialo cur ego falsa meo?
 Sum confessa meos ignes, et uulnera mentis,
 Cætera iam curet dicere noster amor?
 Da ueniam fassæ, dum magni scripta Maronis
 Perlego, et inuenio uulnus Elisa tuum:
 Non magnas mirabar opes Carthaginis altæ,
 Reginam at profugo se sociasse uiro.
 Ridebamq; nefas, sed postquam soluere nauim
 Cæperat Aeneas, ireq; certus erat:
 Obstipui, socij lachrymantem scedera læti
 Didonem, famæ nec meminisse suæ.
 Perirurum et uoluisse uirum retinere, sed illam
 Non retinere tamen sic potuisse uirum.
 Viderat at pleno cum uela tumentia uento,
 Ense suum sumpto persecuisse latus.
 Talia cum legerem, sunt hæc falsissima dixi,
 Quis furor, in proprios condere tela sinus?
 Numq; ego nescio quo puero contacta, meorum
 Sanguinis et uitæ prodiga uirgo forem?
 Mirabarq;

EVRIALO.

Mirabarq̄, legens Peligni carmen alumni,
 Nescio quem iuuenem Phyllida abesse queri.
 Et cito ni redeat turpem prædicere mortem,
 Prædictumq̄, prius post properasse nefas.
 Omnia mirabar, fieri nec posse putabam,
 Scilicet his nondum læsa Cupidinibus.
 Sed neq̄ iam miror, nec sunt hæc ficta poetis,
 Sed nimis, heu, damno cognita uera meo.
 Meq̄, amor ille tuus totam mutauit, et illud
 Non me iam poteram quod prius, esse finit.
 Non me iam cantusq̄; iuuant cytharæq̄, lyraeq̄;
 Facta puellarum turba odiosa mihi est.
 Meq̄, uidens tristem mater, quid filia dicit
 Chæra doles? tacitam me meus urit amor.
 Lux mihi longa nimis, nox est longissima nobis,
 Tunc ego, nescio quid, mente reuoluo mea.
 Si quæris quid id est? unum te cogito, tu me
 Sollicitam de te nocte dieq̄; facis.
 Sed tamen in primis noctu, nox pessima nobis,
 Cum uigilant sensus, et sopor omnis abest.
 Tunc furit ille Deus, uictorq̄; in pectore regnat,
 Sed uideo r tecum tunc ego multa loqui,
 Tunc etiam experior mihi si foret ulla potestas,
 Eurialusq̄; meo conspiciere toro?
 Qualiter iniectis premerem tua colla lacertis,
 Oscula quotq̄; uelim sumere, quotq̄; dare.
 Sic ego complectar, sic ille tenebit amantem,
 Sic gremio in nostro sarcina dulcis erit.
 Cumq̄; sua flamma subiens Venus uret utrumq̄;
 Quot dederit gemitus, protinus ipsa dabo.
 Sic qua non habes tecum mihi gaudia fingor
 Da ueniam, stultum si sit amantis opus.

Quid

LVCRETIA.

Quid non tentat amans? quid non excogitat ut quæ
 Corpore non possit gaudia mente ferat.
 Omnia sic simulo, sed quæ mihi proxima dormit,
 Ex gemitu et lachrymis omnia sentit anus.
 Et mihi, quale geras Lucretia sentio uulnus,
 Sit tamen illius quæ tibi causa, refer.
 Venerat Ausonias quo tempore Cæsar in oras,
 Hoc ego tam tristi uulnere læsa fui.
 Scis bene quantus honos, huic quæ præciosa dabantur
 Munera, et hæc memini me reuulisse tibi,
 Quatuor eligimur forma præstante puellæ,
 A quibus hic princeps excipiendus erat.
 Venerat altus equo, multo et spectabilis auro,
 Et facies illi Cæsare digna fuit.
 Sed iuuenem postquam uidi qui proximus ibat,
 Incalui, circum fusa rubore genas.
 Ut dederam dextram, flammam tetigisse uidebar,
 Et nondum scieram flamma quid ista foret.
 Me miseram, erubuit dulciq; arriserat ore,
 Ab oculos hic me non habuisse uelim.
 Quod formosa fui, iuueni quod forte placebam,
 Hæc gemitus illi causa fuisse potest.
 Sed secura fui, cum Cæsar ductus in urbem,
 Et fuerat famulis quæq; relata domum:
 Quando domum ueni, quamuis cum Cæsare abiuit,
 Visus hic est præsens uultibus esse meis.
 Utq; oculis, animo sic hunc spectare uidebar,
 Hæc fuerant lapsus uulnera prima mei.
 Hei quoties gemitus, quoties suspiria duxi?
 Mixtaq; cum lachrymis illa fuere suis.
 Et, fateor, uolui semper cælare furorem,
 Sed male cælari, lucida flamma potest.

At mea

EVRIALO.

At mea me nutrix etiam laudare solebas,
 Et tuleras laudi quod mihi crimen erat.
 Eurialo quando dederas Lucretia dextram,
 Tunc te, dicebas, erubuisse ferunt.
 Et laudo, et castas perhibet pudor iste puellas,
 Heu non illa mihi causa pudoris erat.
 Talibus ut uerbis spaciöse tempora noctis
 Fallimus, est tandem tarda suborta dies.
 Ante torum sedeo lachrymans, et forte fenestra
 Specto, meam transis commodus ante domum.
 Ecce tibi nutrix mea uulnera: protinus illa
 Hic iuuenis dixit dignus amore tuo est.
 Non equidem miror, si tantis ignibus ardes,
 De nostra huic similis gente quis esse potest?
 Quid facis, heu dixi, debes compescere flammam,
 Quid facis? ardenti fers alimenta foco.
 Sed tamen illa mihi uox acceptissima semper,
 Laudarit faciem quæ mihi cunq; tuam.
 Omnia non possum narrare, sed omnia fiunt,
 Cum loquor usq; tuum nomen in ore meo est.
 Sæpe solet uestra mihi de probitate referre
 Nutrix, hoc illi longa senecta dedit.
 Impetus aduersos concurrere quantus in hostes
 Sit populo, cuius tu bene nomen habes.
 Mitius et uobis nil tempore pacis haberi,
 Constante uirtus illa probanda fuit.
 Hanc ego non possum quin omni tempore laudem,
 Sed quando fructum laus feret illa suum?
 Non peto quæ fors an quisquam me uelle putaret
 Munera, sint quamuis maxima uota mea:
 Te peto, te solum cupio, tu nostra uoluptas,
 Tu precium laudis tu potes esse meæ.

E

Heu nimia

LVCRETIA. 1171

Heu nimia est merces, detur modo tangere amanti,
 Vtterius de te quid mea uota petant?
 Ergo summa tibi cura est te tangere posse,
 Et tibi presentia pauca uerba loqui.
 Cetera si ferrem, quid me felicius esset?
 Dij faciant, omen ne si inane meum.
 Si non digna tuo uideor Lucretia lecto,
 Quid merui, per te cur ego digna mori?
 Vota mori mea sunt si non contingis amanti,
 Sed cur causa mee tu necis esse uelis?
 Ecquid Demophoon laudis tulit? ille coegit
 Phyllida non digna morte perire suam.
 Stulta quid hæc refero? non est tibi sanguinis autor
 Aegides, mater non tua Phædra fuit.
 Aeditus es placida de gente, nec illa perire
 Villam, que fuerit uiuere digna, sinit.
 Non est ut quondam fuerat Germania agrestis,
 Hac nihil immensus mitius orbis habet.
 Nec populus uirtutis amans magis ullus habetur,
 Itale iam poteris cedere, et esse minor.
 Dic mihi, Germano quid non in pectore laudes?
 Marte ualent iuuenes, consilioq; senes.
 Creuit in immensum Germanæ gloria gentis;
 Tu caue de populo degenerasse tuo.
 Cur tamen ipse tuo me non digneris amore?
 Neu tua sim misere quod mihi crimen obest?
 Est mihi forma quidem qua nõ præstantior ulla est,
 Hanc etiam laudem Casare dante tuli.
 Te quoq; fama refert uostram laudasse figuram,
 Vulubus et uisis ingemuisse meis.
 Nunciat et quasdam uoces mihi callida nutrix,
 Adijce, quod te nos Casar amare putat.

Falsa

EVRIALO.

Falsa precor sed ne sint hæc mendacia fama,
 Famaq; cum factò uera sit illa suo.
 Rideat ut Cæsar, sic tu desistere noli,
 Et propera in gremium uerus amantis amans.
 Si te clara tulit decorataq; stemmate longo
 Progenies, si te Cæsare digna domus:
 Et generosa meos commendant facta parentes,
 Nec domus inferior nobilitate mea est,
 Hæc si te facilem facerent mihi, cuncta referrem
 Nomina, et à sera posteritate genus.
 Sed non curat amor fortuna insignia noster,
 Me tibi coniungat te mihi uera fides.
 Nec temere debes tantum contemnere amorem,
 Est datus à caelo desuper ille mihi.
 Namq; ego difficilis cur nostris gentib. esse,
 Et possum externas non superare faces:
 Quam multos animum credis tentasse pudicum?
 Corpore coniungi qui uoluere meo.
 At nondum sum facta nocens, hæc sydera testor,
 Tu spoliū de me primus habere potes.
 Et promere externis nunquam uiolata lacertis,
 Pectora seruauī nempe fruenda tibi.
 Quæ mihi cunq; dabis nō hæc ego scædera rumpam,
 Hoc modo sim solo crimine facta nocens.
 Nec Veneris didici lusus, furtumq; iocumq;,
 Nunc quod amo, tantum crimen amare meū est.
 Postmodo quam constans fuero Lucretia nosces,
 Finiet ardores ultima flamma meos.
 Vnus eris, cuius circumdabo brachia collo,
 Vna dabo lecto gaudia sola tuo.
 Tu meus Eurialus, tua sim Lucretia, tu me
 Sospite sis sospes, me tua fata trahunt.

Et tua

LVCRETIA.

Et tua permaneam donec me uita manebit,
 Tu claudas oculos hac fugiente meos.
 Omnia sed melius præsentem ista loquemur,
 Ista loqui mecum tu modo uelle uelis.
 Efficiam præsens ut me laudesq; probesq;
 Quamq; putes dignam, quam retinere uelis.
 Hic utinam celeri uenias mihi Lucifer ortu,
 Lucifer o uotis sæpe uocande meis.
 Tunc ego me calo credam, non uiuere terra,
 Tunc mihi tu magnus Iuppiter esse potes.
 Sit Deus Eurialus terris, ut Iuppiter astris,
 Crede mihi uerum tu quoq; numen habes.
 Tu mihi sis numen, tu sis mihi Iuppiter ipse,
 Astraq; si summo quid Ioue maius habent.
 Valde equidem spero, nec spes erit illa caduca,
 Et, nisi me fallunt omnia, noster eris.
 Aut ego te potiar, uel non ero uiuere digna,
 Sed potiar cum sim uiuere digna tibi.
 Forsitan id fiet quamquam ratione requiris
 Quod mihi sit custos, quod mihi mater adest.
 Fiet, et hæc nostro res efficienda labore est,
 Quod tibi se donat, tu modo pectus ama.
 Hoc precor, hoc propter supplex tibi brachia tendo,
 Brachia te dominum digna tenere meum:
 Perq; tuos uultus, qui me cepere tenentq;
 Perq; oculos oculis sydera clara meis:
 Perq; tuam gentem, quæ nescit dura uocari
 Teq; animos in me nolit habere feros:
 Perq; tibi quodcunq; placet, quodcunq; placebit,
 Perq; quod est in te quod nocet esse mihi:
 O formose precor quæ sit scribentis imago
 Aspice, et has lachrymas pondus habere sine.

Et quod

EVRIALO

Et quod amo redamare uelis, hæc summa uoluntas
Est mea, quod restat resq; Deusq; dabunt.
Dum loquor, Eois en Sol emergit ab undis,
Incipit et pulsa nocte redire dies.
Ne uideat custos, non cætera scribere possum,
Hæc igitur paucis significasse sat est.
At rescribe mibi, durum rescribere amanti
Quis putat? et parua res eget illa mora.
Emoriar (mibi crede) breui nisi tempore scribas,
Scribe, mibi ingratas et cito pelle moras.
Viue precor, iam iam nobis lature salutem,
Et, possim cum non ipsa ualere, Vale.

AD CLARISSIMVM

MVM VIRVM GEORGIVM

Sabinũ de morte Petri Bembi Elegia.

ECquid ut audisti Petri de funere Bembi,
Cor tibi propterea triste Sabine fuit?
Et te credibile est sacros lacerasse capillos,
Et nihil attonitum tunc potuisse loqui.
At non dissimulas, et te fecisse faceris,
Facturusq; mibi uisus es esse diu.
Mollicies sacros non dedecet ista poetas,
Quos studium tales, quod coluere, facit.
Turba sumus mitis, lachrymisq; obnoxia uates,
Cum quid amicorum flebile rebus inest.
Occidit Ausonia Bembus facundia lingua,
Bembus amicorum qui tibi summus erat.
Huius habet similes ueris in imagine uultus,
Perpetuum uestræ pignus amicitia.

Hos

AD GEORGIVM.


Hos quoties spectas, non ut spectare solebas,
 Obluitur lachrymis humida cæra tuis.
 Itaq; procul quando regione sepulto,
 Contigerant nostræ busta remota plagæ:
 Exequias cæreque paras, et tristia uerba,
 Non secus ac possit ipsa referre facis.
 Nec magis huic bederas affers, floremq; marini
 Roris, eas sedes iam Cyparissus habet.
 Ergo nihil læti nerunt tibi fila sororum,
 Fila nimis docto perniciosa choro.
 Parecere diuini nescit fortuna poetis,
 Hos uult arbitrio sed quoq; stare suo.
 Ante suos annos media florente tuenta,
 Dimidium uitæ concidit Anna tuæ.
 Ille dolor multos tibi sufficiebat in annos,
 Vulneribusq; nouis non agitandus eras.
 Sed quia sic rerum statuit suprema uoluntas,
 Sic illam uanum est constituisse queri.
 Fata pati maior laus est quam fata dolere,
 Ut doleas quid te post doluisse iuuat?
 Fortiter ergo feras quicquid mutabile non est,
 Nos memores nostri nominis esse decet.
 Ille tamen fuerat lectu dignissimus omni,
 Horum, qui sacra Phocidos arua colunt.
 Ergo tuas reprimam lachrymas: ab possumus omnes
 Fortia in alterius uerba dolore loqui.
 Causa grauis te flere facit, tibi iunctior illo,
 Italus Ausonio nullus in orbe fuit.
 Ipse Lycaoniam longe submotus ad Arcton,
 Quo potes extincti nomen honore colis.
 Solus et extremi facis hoc in finibus orbis,
 Namq; tibi soli cognitus ille fuit.


At quod

SABINVM.

At quod in Ausonia sublati funera Bembi
 Vberibus lachrymis semianimesq; gemunt;
 Et decet, et meruit, iuuenes lugete senesq;
 Gloria Romani concidit eloquij.
 Tullius ante sua fuerat quod Marcus in urbe,
 Hoc Venetus nostro tempore Bembus erat.
 Et non in toto facundior extitit orbe,
 Et, nisi me fallunt omnia, nullus erit.
 Purpureum Romæ meruit uirtute Galerum,
 Et poterat princeps ordinis esse sui.
 Et decet, et meruit iuuenes lugete senesq;
 Hoc iacet extincto Pontificale decus.
 Turpe sit, esse aliquem gelida sub Parrhasis Arcto
 Qui doleat, siccas uos et habere genas.
 At uos uestra docent certe monumenta dolere,
 Auxeruntq; suas Tybris et Arnus aquas.
 Nec tamen hi soli lugent, lugemus et ipsi,
 A Latio positos quos procul orbis habet.
 Ipse ego cum fueram certus de funere Bembi,
 Pallidus, et longo tempore tristis eram.
 Nam quoq; speraui quondam te Bembe uidere,
 Sed quam, me miserum, spes ea uana fuit.
 Ergo consortem me docte Sabine doloris
 Hic, ubi spectatur Mænalis Arctos, habes.
 Quodq; tibi scripsi me Bembi morte dolere
 Ista mei luctus litera testis erit.

In Academia Regiomontana excudebat
 Ioannes Vuezynreich.





Biblioteka Jagiellońska



stdr0019336

